

www.e-rara.ch

De duratione Dei indivisibili

Ernestus, Johann Rudolf

Bernae, [1717]

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Ba 120 (21)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99757>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

21

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM
DECIMA TERTIA.
DE
DURATIONE DEI
INDIVISIBILI.

Quam speciminis doctorum locò

Pro consequendo sanæ doctrinæ Ministerio,
FAVENTE JEHOVA

P R Æ S I D E

D. ELISÆO MALACRIDA,
V. D. M. & SS. Theologiæ in Illustrissimo Ber-
natum Lycæo Professore publico.

Pro ingenij modulo publicè tueri conabuntur

JOH. RODOLPHUS ERNESTUS & }
DANIEL KUENZ. } Helv. Bern.
SS. Theol. Stud.

Ad Diem Augusti Anni 1717. hora locoq; consuetis.



B E R N Æ,

Ex Officina Typog. Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis.



ΤΩ ΒΑΣΙΛΕΙ ΤΩΝ ΑΙΩΝΩΝ ΑΦΘΑΡΤΩ,
ΑΟΡΑΤΩ, ΜΟΝΩ ΣΟΦΩ ΘΕΩ.



DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM

DECIMA TERTIA.

DE

DURATIONE DEI
INDIVISIBILI.

§. I.



E Cognitionis Essentiæ Divinæ Necessitate, in superioribus Dissertationibus non nihil tetigimus, absquē illa veram non dari religionem, debitō Deum modō non coli, nostra erga eum officia non observari, nullam proinde fidem, salutisquē spem concipi posse, demonstrantes: Ad Essentiam autem Divinam Æternitas tanquā primi ordinis attributum refertur; sine qua nulla est Divinitas, veluti absquē Divinitate, nec cœlum nec terra, nec quicquam existit: Unde absoluta Æternitatis notitiæ necessitas emergit, quam idcirco hominum nemo, nedum Christianorum inficiari ausus est; quinimō Socini proles, cui & Vorstius meritō annumeratur, ex ea articulum Religionis funda-

1. Æternitatem Dei nobiscum profitentur Sociniani & Remonstrantes.

mentalem exstruit, pro inconcusso, carere Deum principio & fine, tenens. Haud illam minùs Remonstrantium familia, quæ cæteris cunctis oculatior videri vult, adstruit, in qua Limburgius eminet, in capite quinto libri 2. *Theol. Christ.* ab initio ita loquens: *Æternitas est duratio principio & fine carens. Deum itaque quum aeternum dicimus, nec existendi principium habere, nec finem habiturum, sed semper eundem absque ulla sui variatione aut mutatione esse ac futurum, affirmamus. --- Hanc Deo competere Scriptura docet* (quò jam illa Scripturæ loca citat, quæ à Theologis allegari communiter assolent) *sed & idem evincit ratio; quia si Deus à parte anteriore aeternus non esset, ab alio ortum haberet, & sic non esset summus. --- Si enim ab aeterno non existeret ens aliquod, impossibile est, ut unquam ens aliquod ortum sit.* Dicta hæc sunt egregia omnia. Quid igitur, num hac de re nulla nobis disputatio, cum nemine ullalis & contentio? an nulla vel cum Remonstrantibus ipsis, ipsissimoque Limburgio disceptatio? Utinam nec hic nec alibi ullus cum ipsis duendus contentionis funis esset! Hoc & ipsi cum omnibus ferè Christianis Syncretistæ, utinam sincerò cordis affectu, in votis habere clamant.

§. II.

Sed audi tu Limburgium in §. 2. l. c. differere pergentem, statumque Controversiæ sic figentem; *Quaritur autem, in quo propriè ratio aeternitatis consistat? nos credimus eam consistere in perpetua & nunquam interrupta duratione, qua sicut initium non habuit, ita & fine caret.* Verùm in hac certè duratione, quæ ab omnibus omninò Christianis asseritur, non

2. De illa
status Con-
troversiæ,
circa quem
Limburgij
animus flu-
ctuans pro-
ponitur.

non volvitur Controversiæ cardo, quis enim hancce perpetuam & nunquam interruptam Dei durationem inficias ivit? quocircà Doctor Remonstrantium addit; *Sed queritur, an ad æternitatis rationem pertineat, quòd ea sit unicum tantùm præsens, nullaquè in ea successio locum habeat?* Rectissimè: non igitur de Duratione simpliciter, sed durationis *successione* disputatur, an ea de Dei æternitate prædicari rectè queat? Nodum non solvit sed secatur Limburgius, dum utrinquè quæstionem vel affirmando, vel negando difficultates inexplicabiles inveniens, tandem concludit, *præstare hîc nihil decidere, ideoquè modum durationis æterna temerè & imperiosè non esse definiendum.* Quid audio? Æternitas Dei seu perpetua ejus duratio nonne est vel cum successione vel sine ea? nam si neutra, nulla erit æternitas; si alterutra, erit illa positivè asserenda: at inquit Limburgius, *utrinquè difficultates esse inexplicabiles.* §. 10. loc. cit. hinc neutram amplectitur; sed si neutram, quò is jure æternitatem statuere dicendus est? sed non de re, ait, verùm de modo duntaxat disputationem esse; quam totam credit inutilem & non nisi ad rixandum proficuum. At quis dixerit unquam, durationem dari nec cum successione, nec sine ea? Ast inquis alterutram omninò dari, sed utra vera sit, alteriquè præferenda, te nescire, hancque incitiam cum modesta confessione conjunctam doctam esse ignorantiam, tendentem ad communem Ecclesiarum pacem. At quàm sincerè hoc etiam in loco iste agat Auctor, mox experiemur.

3. Qui
quanquam
Duratio-
nem Dei
successivam
inexplica-
bilem repe-
riat, in eam
tamen to-
tus propen-
det.

Inexplicabilem esse durationem Dei æternam si in ea agnoscatur successio, Limburgius hocce feliciter argumentò evincit §. 4. quòd sic *primum ali- quod in æternitate momentum agnoscere cogamur, quod notioni æternitatis directè adversatur, quia nullum momentum æterna hujus successionis præterijisse dici potest, quin aliquando fuerit præsens.* Ex hac igitur inexplicabili Dei duratione successiva, quidni ad alteram sese vertit, quæ successionem ab hac Dei duratione excludit? sed & istam inexplicabilem dicit; quò argumentò? quoniam, inquit §. 5. *capi non potest, quomodò res æternum duret, & in illa duratione non sit successio & continuatio ab uno momento in aliud per momenta intermedia. --- In illa (Dei) duratione non esse multiplex, seu multa instantia, ex quibus inter se collatis aliud sit prius, aliud posterius, capi non potest. Non ergò (addit) illa videtur esse inter tempus & æternitatem differentia, quòd tempus in continuo fluxu, æternitas autem fixa & stabilis duratio sit: sed quòd tempus constet momentis finitis, æternitas infinitis.* Ex his omnibus inter se collatis nonne videbitur Auctor ille in æternitatem Dei ipsam involare, cùm alterutram illam Dei durationem veram esse, vel Deum certè æternum non esse oporteat? At eam non negat omninò, alioquin frustra evidentissima Scripturæ loca hanc in rem, ut modò vidimus, adducturus, nec pro Dei æternitate conatu tam felici ex Rationis dictamine argumentaturus, quin imò non à Remonstrantibus duntaxat sed omnibus certè Christianis miserè vapulaturus. Quò ergò se inclinât, an rem prorsus

prorsus indecisam & indeterminatam esse jubet? Imò propensior ille in Æternitatem Dei *successivam*, utut *inexplicabilem* modò sibi visam, esse videtur, omnes hinc objectiones contra durationem Dei *indivisibilem* à suis fieri solitas à §. 5. capitis suprà citati ad §. 10. in nos animosè evibraturus; veluti & §. 5. disertè docet, *Durationem esse distinguendam ab ipsis rebus, quibus duratio attribuitur, nequè durationis successionem cum alteratione rei durantis esse confunden- dam*; quod Deo applicatum mentem nobis Limburgij aperit, assertà durationis Divinæ successio- ne omnem à Deo imperfectionem amoliri studentis: Sed quàm feliciter, sequentia docebunt.

§. IV.

Rotundior Discipulò est Episcopus, *Instit. Theol.* p. 296. in art. *Restat.* ita differens; *sine ullo salu- tis periculo credi posse arbitror, verum non esse, aterni- tatem Dei esse durationem instantaneam, idest, quæ in- divisibilis & tota simul sit, nequè partes aut momenta habeat sibi invicem succedentia, quorum alia præterita sint, alia futura, sive (ut verbo dicam) in qua nihil sit prius aut posterius.* Rotundior quoquè Curcellæus, qui Episcopium sequutus, lib. 2. c. 3. §. 5. apertè pro- fitetur; *absquè periculo posse dici, in aternitate Dei esse præteritum, præsens & futurum: item, ad aterni- tatis naturam nihil quicquàm pertinere, ut totam simul suam existentiam possideat.* Quì autem fit, quòd Limburgius apertiùs loquutus non fuerit, nonne, ut ab impingendo sibi Socinianismo sese immunem præstet, à quo tamen, prout vidimus & videbimus in- feriùs, nec hoc in loco alienus est? Quæ verò de Dei Æter-

4. Episcopij & Curcel- læi ut & So- cini & Crel- lij de Dura- tione Dei opinio.

Æternitate & duratione Socinianorum sententia sit, ex eorum Magistris elucescit; audi de ea Socinum ipsum in *prælect.* c. 8. ita philosophantem. *Tempus æternum est, quicquid Theologi nostri contra disputent, semperquæ & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid & præsens & futurum sit. Nec verò in mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit, sed tantummodò temporis mensura quadam &c.* adde & Crellium l. de Deo & Attributis c. 18. ita ratiocinantem. *Partes illius (æternitatis Dei) vel dua constituentur: altera, quæ antegressa est, altera, quæ consequitur & sine fine duratura est: vel tres, pro triplici temporum differentia. Et mox in sententiam veram insurrecturus ita differit. Non potest autem nobis eorum probari simplicitas, qui æternitatem, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum spatia complectentem, in unius puncti seu momenti angustias cogunt. Indivisibilem enim eam esse statuunt, nihilquæ in ea prius, nihil esse posterius. Ex lacuna ista suam quoquæ opinionem hausit Vorstius, in notis ad Disput. 3. de Deo, Æternitatem, in se spectata nihil est aliud, quàm tempus æternum; Æternitatem verò tempus vocitat, ut in ea prius & posterius, proinde continuam sese successionem agnoscere doceret.*

§. V.

5. Sententia nostra, quæ tempus omne seu duratio successiva à Deo removetur, proponitur.

Istâ nos descriptione Æternitatis Divinæ, tanquàm summæ Dei perfectioni contraria acquiescere nequimus; unde sententia de æternitate Dei nostra est, quod sit duratio talis, quæ non initiò duntaxat & fine, quod *οὐκ ἔχει τέρμα* nobiscum fatentur, sed & omni temporis *successione* caret, quæ proinde nec prius

prius nec posterius , nec ulla sibi succedentia momenta admittit ; ut adeò Æternitas Dei sit *Interminabilis vita tota simul & perfecta possessio* , quæ memorabilis est definitio Boëthij Viri Consularis , Zenone Imperatore regnante , sub Theodorico , Ostrogothorum in Italia rege , sub finem seculi V. & initium sequentis florentissimi , quò Roma à Varronis temporibus in omni disciplinarum genere non habuit doctiorem . Ut verò de hacce nostra sententia melius constet , ejus termini distinctè sunt explicandi , *Duratio* nim. *Tempus* & *Æternitas* ; *Duratio* est rei in suo esse perseverantia ; differt proinde ab *Existencia* , quòd hanc præsupponat & sequatur ; est enim *Duratio* in *existencia* permansio ; sive est ipsa *Existencia permanens* ; sed quia alia est absquè successione , alia cum successione ; prior Dei est , & ejus quidem solius , tanquàm necessariò existentis , spectatque ad absolutam ejus infinitatem , summamquè perfectionem : posterior verò est Creaturarum , quarum *existencia* non est necessaria , momentaque inter se indivulsò nexu non cohærent . *Tempus* est mensura durationis rei illius , quæ mensurari potest , proinde rei non increatæ , sed creatæ , qualis mundus est , & res in eo existentes : hinc tempus ceu rebus mundi concreatum , ante mundum non fuisse asserimus , quod vel exinde confirmatur , quia mundus à Deo factus dicitur בראשית *in principio* sc. temporis , quod non Angelos , vel quicquam à Deo distinctum sed nudam æternitatem præsupponit ; ut phrasès ante *jacta mundi fundamenta* , vel *ante secula* , vel *antequàm hic mundus esset* , & similes , durationem ab æterno sine suc-

sione designent, Psalm. 90. Prov. 8. Joh. 1. Eph. 1. cujus igitur Duratio mensurari nequit, vel cujus Existentia non est in fluxu continuo, quæquæ diversa non habet momenta, quorum unum non sit alterum; vel quod non habet existentia quantitatem & veluti extensionem, illud tempori obnoxium esse, vel durationem successivam habere, dicendum non est. At tale Ens Deus est, cum cujus perfectione tempus non congruit, quoniam ejus duratio mensurari, id est, conferri cum duratione rerum illarum nequit, quæ certum & determinatum motum habent.

§. VI.

6. Aeternitas Dei talem existendi necessitatem dicit, quæ fluxum omnem, vel omne prius & posterius excludit.

Duratione & tempore sic explicatis quid erit æternitas à parte anteriori? nihil sanè quàm duratio sine mensura; at per mensuram non initium duntaxat à parte *antiè*, & finis à parte *post* intelligitur, quò sensu & Adversarij durationem absquæ mensura libenter concedunt; sed mensura successionis, cui nec prius insit nec posterius. Quod si ad meram homo durationem attendat, illam Dei difficulter capiet, comparare identidem illam cum propria sua quin imò ea omnium creaturarum, quæ est omnis successiva, assuetus; At difficultas minor erit, si eam solò intellectûs oculò, remotis sensibus & sepositâ facultate imaginativâ rerum spiritualium contemplationem turbare solitâ, intuearis, confrens illam cum alijs Dei proprietatibus, quas Deus perfectissimè possidet, quæquæ ei simul tam perfectè præsentibus sunt, ut nulla ibi continuata successio observari queat; vel confer eam cum intellectu actu infinito;

infinito; si iste tanquam Deo indefinenter actu præ-
sens & idem semper ac invariabilis, imò actus uni-
cus citrà ullam compositionem, atquè necessariò
existens, sine varijs successionis momentis intelli-
gitur, nonne pariter duratio Existentiæ Divinæ conci-
pitur, quæ ab ejus Essentia non distinguitur, imò
est ipsissima ejus Essentia? Ut ad eò omne, quod hac
in parte præjudicium de Deo habere possumus, ex
eo unicè fluat, quòd in nobis ipsis, cunctisque re-
bus creatis Existentiā ab Essentia differre, nostram-
què Existentiā in perpetuo esse fluxu observemus;
quod subito tamen cessat, quamprimùm ad Existen-
tiā Divinā absolutam necessitatem, ad nostrā verò
contingentiā attendimus. Deus fuit ab æterno
eritquè in æternum pariter necessariò existens; Ne-
cessitas illa usquè & usquè eadem est & invariabilis;
non existere Deum, vel non extitisse unquā, vel
non exiturum in futurum, eandem implicat contra-
dictionem. Hinc optimè Augustinus de *Prædest. &
Grat. c. 5. Unum*, inquit, *& idem est instans & immu-
tabile penitus in tota æternitate.* Huic si misceas prius
& posterius, anteriora momenta & posteriora, pro-
inde successionem, non ampliùs eadem erit Exi-
stentia, nim. immutabilis & perfectissima; hoc est,
non erit ampliùs Existentia Dei; audi denuò bea-
tum Augustinum in lib. *de vera Religione c. 49.* pul-
chrè loquentem; *Mentis quippe aspectu omnem muta-
bilitatem se jungo, & in ipsa æternitate nulla spatia
temporis cerno, quia spatia temporis præteritis & futu-
ris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in
æterno & nihil futurum est; quia & quod præterit, de-*

finis, & quod futurum est, nondum esse cepit. Æternitas autem tantummodò est, nec fuit quod jam non sit, nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humana menti: Ego sum, qui sum; Et de illa verissimè dici poterit: Qui est, misit me.

§. VII.

7. Qualis
probatur
ex Scriptu-
ræ dictis.

Æternitas igitur ut stans consideranda est, quare cum temporibus sibi continuò succedentibus, sicquè nunquàm stantibus comparari nequit; ubi namquè prius & posterius est, ibi non est Existentia stans, qualis Dei est, excludens proinde successionem omnem. Talem autem Existentiam de Deo sacræ docent litteræ, ubi אֵלֶּיךָ dicitur & αἰώνιος. Rom. 1: 20. & 16: 26. Heb. 9: 14. qui est ab æterno & in æternum, ubi vocatur אַתָּה הוּא *Tu ipse*. Psal. 102: 28. ubi de eo prædicatur, quòd nequè *initium dierum nequè vita finem habeat*. Heb. 7: 3. ubi anni ejus dicuntur *in ætate ætatum, nequè tamen finire*. שְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִתְמוּ Psal. 102: 28. quæ omnia absquè successione in Deo esse intelliguntur; ubi enim est successio, ibi est principium, quod à Deo est alienissimum, dum dicitur non habere *initium dierum*: proinde aliter est de Deo intelligendum, quod nequè vitæ finem habeat, quàm de spiritibus ad æternitatem factis, sicuti namquè isti initium, ita & successionem habent duraturam usquè & usquè, Deus autem prout nullum finem, ita & nullum initium habet, proinde est absquè momentorum successione; Hinc Dan. 7: 13. נִתְּנָהּ לְפָנָיו *permanens dierum* vocatur, cujus dies non finiuntur, sed manent semperquè pergunt, à פָּנָיו *transferrì*, quod de Deo dictum successionem non includit sed excludit,

cludit, transfertur enim & pergit מְעוֹלָם עַד עוֹלָם à *seculo in seculum*. Psal. 90: 2. existendo nim. eodem semper modò, idem ac non alius & alius, quandoquidem talis est עָתִיד, qualis fuit ab æterno, id est, sicuti ab æterno necessariò & perfectissimò modò extitit, ita necessariò semper summâ eâdem perfectione existere pergit; qui existendi modus successionem omnem respuit; etenim ubi concipitur successio, ibi nec à parte pòst, longè minùs à parte antè Existentia est necessaria; unde עָתִיד per *permanentem* rectiùs quàm per *antiquum* vertitur; nec enim Deus dicitur יְיָ vel יְיָ παλαιός, *senex*, vel *vetus*; imò עָתִיד Esa. 23: 18. de vestimento usurpatum notat μὴ παλαιόμενον עָתִיד וְלִמְכַסָּה & *in vestimentum durabile*. Paradoxum itaque est & ὑπομωγον, quando Deo tribuuntur anni & dies; fit namquè id, ut eos propriè Deo non competere indicetur, cùm id fiat cum additione manifesta, quæ æternitatis immutabilitatem & à tempore, ab omni proinde successionem distinctionem significat, prout quando disertè dicitur, *Anni ejus non finiuntur*; & *permanens dierum*: ut adeò ab annis & diebus Deo tributis ad Existentiam ejus successivam consequentia non valeat, quoniam in illis Dei est ὑπομένειν, in nostris verò πατερίνεια.

§. VIII.

Hanc Dei durationem *indivisibilem* probant ea quoquè loca, quæ actiones ei in præsentì attribuunt, ut quando Pater de Filio dicit הוּא *hodie genui te*. Ps. 2: 7. quod nunquàm non dicere potest, quoniam omnes temporum differentiæ ipsi sunt הוּא *hodie*.

8. Item ex
varijs ejus-
dem phrasi-
bus &c.

& quod ipse decernit & facit, id facit ☐ 77, proinde operatione indivisibili, unicō eōdemquē semper & simplicissimō actu : porrò eandem probant dicta, ubi Deus dicitur 77 78 Psalm. 42: 3. Hof. 2: 1. ο ζω̄ν. Apoc. 1: 18. *vivens*, quod de Creatura nulla, utp. de nihilo in tantum participante, in quantum ejus existentia est successiva, contingens & non necessaria, affirmari potest; Deus autem nunquā non est *vivens*, vita ipsa, vitam dans omnibus, utp. *vita & resurrectio* Joh. 11: 25. *habens vitam in se ipso* Joh. 5: 26. & vitam quidem *indissolubilem*. Hebr. 7: 16. μόνος ἔχων ἀθανασίαν, *solus habens immortalitatem*. 1. Tim. 6: 16. Βασιλεὺς τῆς αἰώνων ἀφθαρτος Rex *seculorum incorruptibilis*. 1. Tim. 1: 17. & quæ similia alia sunt dicta, quæ omni emphasi carent, si de Existentiæ Divinæ continuatione, successione & veluti extensione sumantur, imò corrumpuntur, extenuantur, planequē evertuntur. Vel quænam alia ratio est, cur dicatur Deus *vivens vitamquē habens in se*, nisi quod eōdem semper modō atquē sine momentorum successione existat, vitaquē ejus sit *tota simul & perfecta possessio*? quare ejus ζων ἀκατάλυτος *vita indissolubilis* vocatur? num ea cum successione conciliari ullō modō potest? vel quod est successivum, vel infinitis sibi succedentibus momentis constat, estne illud ἀκατάλυτος? an momenta in se spectata dissolvi nequeunt? quō porrò sensu *solus* dicitur *habere immortalitatem*? an anima quoquē nostra beneficiō Divinō non est immortalis? ergone Deus non aliō & infinities perfectiori modō immortalis est, quàm res ulla in perpetuum duratura? At quis quāvis modus

dus ille potest alius esse, quàm quòd sit absquè suc-
 cessione, variabilitate, mutabilitate, dependentia
 à momentis sibi succedentibus, idem proinde, sem-
 per, intimè sibi præsens, alius nunquàm & alius?
 Cur item *Rex* vocatur *Seculorum* ἄφθαρτος? talis ne
 simpliciter & absolutè diceretur, si ejus ἀφθαρσία
 momentorum successioni, temporis fluxui & lapsui
 non opponeretur? quod namquè hisce obnoxium
 est, in se propriâque virtute ἀφθαρτον dici nequit.
 Quò deniquè titulò dicitur Deus יהוה Gen. 14:
 33. יהוה אלתי *Deus seculi* Esa. 40: 28. יהוה
 יהוה à seculo in seculum Ps. 90: 2. nisi ut idem esse Deus
 ostendatur in principio & in fine rerum omnium,
 quæ suum habent *Gnolam seculum* seu integrum tem-
 pus, proinde in principio nec plus nec minus fuisse
 quàm in fine cujuslibet rei, procul variatione &
 mutatione omni, atquè adeo ante principium fuis-
 se existentia simpliciter necessariâ, αἰώνιος, αἰών
 αἰών καὶ ὡς αἰῶνα, quæ quorundam Patrum Græ-
 corum voces sunt, prorsus cum ijs Scripturæ con-
 sonæ, πρὸ ἑβ' αἰώνων *ante secula*, 1. Cor. 2: 7. πρὸ
 χρόνων αἰώνιων *ante tempora secularia* 1. Tim. 1: 9. πρὸ
 μεταβολῆς κόσμου. Eph. 1: 4.

§. 1X.

At momentosa est Psalmistæ assertio hâc omni-
 nò occasione non negligenda, quam ex Psal. 90: 4.
 citat quoquè Petrus 2. Pet. 3: 8. dicens: *Hoc unum,*
dilecti, ne vos lateat, ὅτι μία ἡμέρα παρὰ κυρίου ὡς χίλια
ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία, quòd una dies apud
Dominum sit sicut mille anni, & mille anni sicut una
dies. Unde argumentari licet; apud quem una
 dies

9. Specialif-
 simè ex Ps.
 90: 4. coll.
 cum 2. Pet.
 3: 8. quæ
 loca adver-
 sus excep-
 tiones Ad-
 versario-
 rum vindi-
 cantur.

dies est sicut mille anni, & contrà, apud eum non est differentia diei & mille annorum, proinde apud eum non est differentia vel mensura temporis : hæc propositio annon rectè se habet ? quid igitur de sequente judicandum ? Apud quem non est differentia temporis, apud eum non est temporis successio per partes prioris & posterioris ? Huic ratiocinio an quicquàm deest ? nonne ergò juxta Psalmistam & Petrum sequitur, apud Deum non esse temporis successionem per prius & posterius ? Sed Remonstrantes hancce sequelam agnoscere detrectant; hinc Curcell. loc. cit. §. 3. hisce verbis nihil significari aliud docet *quàm durationem Dei adeò prodigiōse longam, ut mille ex nostris annis cum ea collati, quasi unus dies sint & vicissim mille anni aternitatis Deo sint, quasi nobis unus dies, quòd Deo faciliùs sit ex sua aternitate 1000. annos impendere, quàm nobis ex brevi nostra vita unum diem.* Limburgius superiùs pro neutra stare sententia visus nunc paria habet, lib. cit. §. 9. *posset*, inquit, *quis inde colligere, quod aternitas tanta sit durationis, ut unus illius dies longitudine aquet mille annos.* Hisce præluxerunt Socini nepotes, locum istum similiter interpretati. Crellius quippe de *Deo*, ita nodum huncce soluturus loquitur : *significat enim apud Deum discrimen illud temporum, quod nos maximi facere solemus, nihil habere momenti, perinde ipsi esse, sive unus prætereat dies, sive mille anni &c.* hisce gemina habet Vorstius in *notis ad Disp. 3. de Deo.* Sed absurda sunt ista omnia, Petrus quippe illusoribus ultimi adventûs Domini, eorumquè obtentui, quasi venire Dominus tardaret, respon-

responsurus negat, dilationis illius causam esse Dei tarditatem, quin suò tempore certò sit affuturus, hancce subjungens rationem, quòd apud eum non sit illud dierum annorumquè, temporis adeò ipsius, spatium, quòd apud nos; quòd unus dies apud eum haud secùs se habeat ac mille anni & vicissim; ut adeò Adversariorum interpretatio nulla sit, quoniam non disputabatur, quid Deo, sed quid hominibus videretur; Deo non videbatur tarda adventùs promissi dilatio, at talis videbatur illusoribus; nequè quales vel quanti Deo viderentur dies anniquè, sed quid reverà essent? scil. mille anni sicut unus dies, proinde absquè successionem 1000. annorum; & unus dies sicut 1000. anni, igitur absquè successionem unius diei; qui haud dubiè sensus simplicissimus est.

§. X.

Hisce evidentissimis Scripturæ locis subungi nonnullæ quoquè prægnantissimæ rationes possunt. Primam adversùs successivam Dei durationem eam facimus, quam Limburgius ipse l. c. §. 4. nobis subministrat, dicens; *Si successionem in aternitate admittamus, vix evitari potest, quin primum aliquod in aternitate momentum agnoscere cogamur; quòd aternitatis notioni directè adversatur: quia nullum momentum aterna hujus successionis præterijisse dici potest, quin aliquando fuerit præsens &c.* Juxtà hoc ratiocinium, quòd fallere nequit, vel erit in Dei successionem primū momentum, unde suam Deus existentiam ordiatur, vel nulla erit in Deo successio; prius verum esse nequit, quoniam Dei alioquin aternitas apertè negaretur; posterius igitur verum esse oportet, talem nim.

10. Insuper ex ratione, deducta à primo momento, quòd omnis duratio successiva supponit.

Dei existentiam esse, in qua nec initium sit nec finis, quæquæ perfectissimam durationem, veriquæ nominis æternitatem involvat, ut ipsa tamen omnibus post mundum conditum differentiis temporum, earundem in se omninò expers, coëxistat. Prius verum non esse, non tantùm Limburgius, sed & Socinianorum hypothesis contrà mundi hujus adspectabilis æternitatem confirmat: Motus quippe diuturnus, rerumquæ omnium perennis successio sive in cœlestibus sive in sublunaribus arguit, etiam juxtà hos ipsos Auctores, ejus initium aliquod fuisse, in quo existere cœperint: quàm igitur absurdè iidem æternitati Divinæ successionem tribuunt? & quàm absurdus non est Crellius l. de Deo. Etenim, inquit, *in infinito tempore necesse est ordinem naturæ infinities in circulum redire*: an verò nullò initio? & si initio, num *tempus erit æternum* à parte antè? Imò si Dei successio initium habeat, quidni & finem habere possibile erit, quandoquidem sic omnia Dei erunt contingentia? Sed diutiùs his inhærere piget.

§. XI.

II. Pariter
ex eo, quòd
non datur
tempus æ-
ternum.

Ex occasione *temporis infiniti* vel *æterni*, modò à Crellio memorati, novum contrà successionem Existentiæ Divinæ argumentum deducimus. Si enim non datur *tempus æternum*, non datur successio æterna: sed non dari tempus æternum ex motu probatur, qui non datur ab æterno successivus; tempus enim in perpetuo motu vel motûs successione consistit; etenim tempus est rei creatæ duratio, vel modus cogitandi, quò rei creatæ durationem mensuramus, dicerequæ solemus, rem hanc vel illam creatam jux-
tà

tà motum Solis vel Lunæ tot vel annos vel menses vel dies durasse? Dicendum itaque erit, vel motum fuisse ab æterno, vel tempus æternum non dari; at si motus fuisset ab æterno, revolutiones simpliciter infinitæ factæ fuissent, quod implicat contradictionem; quemadmodum & implicat, si quis numerum dierum infinitum hodiernum diem præcessisse dicat; infinitò namquæ nihil majus est, illudquæ augeri nequit; at augetur die hodiernò, futurisque omnibus.

§. XII.

Huic adde argumento, quòd si tempori subijceretur Deus, ejus quoquæ duratio mensurari posset; tempus quippe est mensura durationis rei; possetquæ dici, hoc in Deo præsens, hoc præteritum, hoc futurum esse, atquæ Deum ad motum rerum creatarum mensuratum dies suos annosquæ saltem indeà Mundi creatione exegisse. Sed hoc nonne est in re seria ludere? Infinitus quomodò mensurabitur? vel quæ infiniti mensura, nisi & ipsa infinita sit, fingi potest? An igitur infinitus habet tempus, & an hoc est de natura durationis infinitæ, ut habeat tempus? hoc vellent Adversarij, attamen docentes temporis naturam à Dei natura segregandam esse. Sed quàm absurdè, sic enim daretur tempus infinitum, & Dei natura infinita, & sic duo infinita. Bella Theologia! Missis his infacetijs ex Augustini ore disce, *aternitatem nec tempus, nec temporis partem ullam esse, nec in mensuram cadere: in lib. Confess. II. c. 13.* ita loquentis, *Non enim erat tunc, ubi non erat tempus, nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempo-*

12. Porro ex eo, quòd Dei duratio mensurari nequit.

ra pracederes. Sed pracedis omnia tempora praterita, celsitudine semper presentis aternitatis, & superas omnia futura, quia & illa futura sunt, & cum venerint, praterita erunt; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt. --- Anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt. --- Anni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, nequè enim succedit hesterno, hodiernus tuus aternitas, ideò coaternum genuisti, cui dixisti. Ego hodie genuite, &c.

§. XIII.

13. Etiam
ex omni-
moda Dei
simplicitate

Rationem contrà Aternitatem Dei *successivam* porrò desumimus ex *omnimoda Dei Simplicitate*, omnia Dei attributa in ipsa Dei Natura combinante, omnemquè prorsus compositionem excludente; si enim Deus non est compositus, sed simplex, aternitas Dei vel non erit Deus, vel non erit *successiva*: Atqui Deus absquè aternitate non est Deus, quoniam absquè ea non est Ens necessariò existens: Ergò aternitas ad naturam Dei pertinens, & constituens Deum aternum durantem, erit sine *successione*. Si consequentia valida non sit, aliud exinde absurdum sequitur, nim. omnia cætera Dei attributa esse *successiva*, in iisque prius esse & posterius; Hoccine admittent Adversarij? audi Vorstium *Disp. 3. de Deo. Proprietates Deo verè insunt, & quidem per se, nempe ex natura necessitate, imò sunt ipsa Dei Essentia. Crellius similiter ijs Dei attributis, quæ Deo prorsus sunt naturalia* (præter ea enim attribuunt Deo accidentia, quæ adesse & abesse possint) *non minùs absolute*

solutè competere aternitatem, quàm ipsi Deo. Hòc affertò dicere hypothesi suæ convenienter isti debent homines, Intellectum Dei, ejus Sapientiam, ejus Potentiam, ejus Veritatem, ejus Virtutes, in genere Perfectionem ejus & Spiritualitatem esse successivam, infinitasquè suas habere vicissitudines & revolutiones, quod ex Deo est facere vel Angelum vel hominem, proindequè Deum ipsum negare: Si verò id asserere non audeant, quare igitur successivam dicunt Æternitatem, cùm successiva non sit Dei Essentia?

§. XIV.

Potissima verò ratio, quæ nos ad Durationem Dei *indivisibilem* defendendam impellit, est ejus Immutabilitas, quæ, dum successiva Deo existentia tribuitur, planè tollitur, quoniam in omni successione sunt partes prioris & posterioris. At Deus non mutari tam apertè dicitur, ut inveniri homines, qui eam infringere audeant, mirum sit: Alibi jam citavimus locum Malach. 3: 6. *Ego Jehova, לא שנית, non mutor*, à quo verbo est שנה annus, quasi Deus dicat, *non mutor in annos*: Ea igitur à Deo mutationis species à Deo removenda est, quæ in annis & diebus nostris conspicitur, ut adeò, nullum esse in Dei Existentia temporis fluxum, firmiter tenendum sit; id Psaltes perspicuè inculcat, Psal. 102: 12. 13. dicens; *Dies mei sunt, ut umbra inclinata, & ego ut herba areo. Attamen tu, Jehova, in perpetuum תשב sedebis; & memoriale tuum in ætatem & ætatem. v. 27. 28. Illa peribunt, ואתה תעמוד & tu permanebis; & omnia illa ut vestimentum inveterascent, instar indumenti mutabis illa*

14. Præsertim ex Immutabilitate ejus.

illa & mutabuntur: Sed *אתה הוּא* *tu idem es, & anni tui non finientur.* Hæc quanquam de Regno Dei explicari possint, & diversis ejus œconomijs, quarum prior abolenda, posterior stabilienda in æternum erat, nihilominus de Dei Vita & Æternitate rectè intelliguntur, tanquam fundamento Regni ejus in perpetuum duraturi; nisi enim Deus vitam in seipso, Existentiam absolutè necessariam, & Æternitatem immutabilem haberet, talia hoc in loco de se & regno suo per Prophetam prædicare non potuisset; cum unum necessariò supponere alterum dicendum sit: quid autem volunt voces istæ *תשב* *sedebis*, vel *permanebis*, *תעמוד* *persisteres*, *הוּא* *semper idem*, oppositè ad omnia alia, quæ peribunt, veterascent & mutabuntur? nonne successionis exclusionem notant, tanquam principii universæ in Creaturis, variationis, mutationis & finalis interitûs, qualis ideò in Deo locum nullum habere potest, quòd in eo principium mutationis, id est, successio nulla sit?

§. XV.

At huic loco & nostro exinde argumento quid opponunt *οἱ Ἑβραῖοι*? Imperfectionem illi nullam hîc deprehendi posse clamant dicentes, *successionem illius infiniti temporis, in quo Deus existat & operetur, ipsam Dei essentiam mutabilem & fluxam non efficere, quin potiùs immutabilitatem ejus apertè arguere, quatenus ista successio perpetua esse dicatur, ita ut per eam Dei ipsius anni nunquam finiantur, licèt tempus in se perpetuò fluat; quæ sunt verba Vorstij in notis ad Disp. 3.* Verùm si nulla in Deo imperfectio sit, nulla erit in eo successio; quod haud difficulter ex omnibus cernere

15. Num successio, quam Adversarij deo affingunt, nullam in Essentia divina mutabilitatem vel imperfectionem arguat?

cernere licet creaturis; vel nonne harum imperfectionis basis est successio, per quam aliæ sunt & aliæ? Citrà successionem istam nonne Angeli defectores in primis suis adhuc delicijs viverent? nonne *οὐκ ἀποστασόντες* nostri imaginem divinam retinuissemus primam stationem non deserturi? nonne semel illuminati lucem suam sequerentur, de novo Christum non crucifixuri? nonne regeniti Spiritum ducem imitarentur de lucta carnis causam conquerendi nullam habituri? unde si Existencia Dei ipsam ejus Essentiam mutabilem & fluxam non efficit, eam oportet ab omni successione esse quàm alienissimam. Sed quò sensu inquit Vorstius, Dei successionem a pertè ejus immutabilitatem arguere? *quatenus nim. ista successio perpetua esse dicitur; ita ut per eam Dei ipsius anni nunquam finiantur, licet tempus in se perpetuò fluat.* Quocircà omnis Dei immutabilitas in eo consistit, quòd Deus morti vel interitui non sit obnoxius. At non de eo quæstio est, sic enim & Enoch & Elias etiam quoad corpora hucusque tales divinò beneficiò fuerunt, eruntquè in æternum; tales sunt animæ in cœlo consummatæ; tales denique omnes ad æternam beatitudinem resurrecturi, de quibus malè affirmaretur, nullam in ijs imperfectionem esse, quâ tamen à supremo unicè Numine intervallò infinitò distant. Non equidem diffitemur, majorem esse perfectionem, ad longum quoddam intervallum quàm ad breve suam protrahere existentiam, imò majorem adhuc, si existentiae finis nullus sit: Attamen in tali qualicunquè perfectione nondum summa est & infinita perfectio, quâ
Deus

Deus ab omnibus sese Creaturis etiam præstantissimis infinitè secernit ; sed in eo omninò versatur, quòd Deus non ut Creatura existit, non tantùm procul omni ab alio dependentia, sed & omni planè successione, ceu principio omnis variationis, miseriæ & interitûs ; Existentiâ talis nulli convenit Creaturæ, tanquàm solius Dei prærogativa, de qua hîc omnis quæstio est.

§. XVI.

16. Vorstij
contradi-
ctio.

Addit Vorstius ; *Deus, inquàm, nec incipit nec desinit, nec innovatur: sed totus simul est semper, & semper idem manet.* Egregia hæc sunt ; si Remonstrantibus, imò & Socinianorum gregi hæc prout nobis placeant, quidni ea retinent ? quare ad hanc decempedam reliqua hujus negotij non exigunt ? talia quippe sunt, quæ citrà omnem profectò successi-
onem explicari commodè possunt, imò quæ cum suc-
cessione conciliari nequeunt. Hæc ipsa nostram
declaran sententiam : Si hisce immorarentur Ad-
versarij, nulla hic nobis lis, nulla contentio foret ;
sed primò oculi ictu deserit idem ea Vorstius, imme-
diatè subjungens ; *Quod autem temporis spatium ipse
duravit, id verè jam præterit, & quod porrò durabit, il-
lud nondum advenit.* Sic quæ modò adstruxerat, ite-
rùm destruit ; vel si hæc posteriora cum proximè
præcedentibus conciliandi ulla ratio sit, dicendum
erit, tempus æternum & Deum ipsum esse duo totò
cœlò diversa ; tempus suas habere differentias, mo-
menta sua, suumquè fluxum & lapsum, *Deum ve-
rò totum simul esse semper, semperquè eundem manere ;*
sed præterquàm quòd duo sic infinita constituentur,
quod

quod suprà explosimus. Tempus sic Deum sibi non subijcit, nec etiam respicit vel attingit, neque ejus causâ Deo ulla esset durationis successio attribuenda, quod nos constanter docemus; sed tempus ante mundum conditum sic ponitur in nihilo; quod idem est ac si adjunctorum esse subjectis non inhærere diceres; quod iterum est absonum & ridiculum. Post hæc omnia quid de verborum Vorstij conciliatione dicendum erit? eam esse impossibilem; dum enim Deum totum simul esse docet, eum omnis successionis exsortem dicit; dum verò statuit, Deum spatium temporis, quod præterijt, durasse, & aliud quod nondum advenit, duraturum, successionem omnem stabilit; quæ sunt *ἀόυστα* ex Spiritûs mendacij lacuna. Quàm contrâ egregiè, piè & solidè de his sæpiùs laudatus Augustinus, l. *de natura boni*, cap. 39. *Illæ est vera æternitas, quæ vera immortalitas, hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.*

§. XVII.

Ut verò, quam suprà dedimus, fidem libere mus, adstructâ suis argumentis veritate, ad Adversariorum objectiones nunc diluendas progrediemur, illas ex Limburgio ipso desumturi, ut, quàm cordatè hic agat, dicendo, quicquid hîc litium est, in medio se relinquere, & à neutra se parte stare, unicuiquè constet; is autem priusquàm ad objectiones, quas nobis opponit, devolvatur, quid tempus inter & æternitatem discriminis sit, explicat l. c. §. 5. circa finem, quod in transitu, idquè brevissimè nobis excutiendum est; dicit nim. Auctor iste celebris:

D

discrim-

17. Limburgij discriminem inter æternitatem & tempus.

discrimen illud non in eo consistere, quòd *tempus in continuo fluxu*, *aternitas verò fixa & stabilis duratio sit*; sed quòd *tempus constet momentis finitis*, *aternitas infinitis*: quibus proinde verbis negat, æternitatem esse durationem fixam & stabilem; contrà verò in continuo illam fluxu esse haud obscurè asserit; fluxum autem illum tribuit momentis, non finitis sed infinitis, & in his jam omnem illam notabilem versari inter tempus & æternitatem differentiam affirmat. Sed quæso an aliud iste sibi doctor vult, quàm tempus finitum habere principium & finem, æternitatem verò vel tempus æternum principiò finequè carere? Id sanè eum intendere patet ex eo, quod immediate subneçit, dicens: *imò aternitas revera aliud nihil videtur, quàm tempus principiò & fine carens*. Sed si omnis inter unum & alterum discrepantia in principio & fine, quibus alterum caret, alterum verò fruitur, versatur, quid discriminis reliquum manet in ipsissima utriusquè duratione? nullum profectò; utrumquè enim tempus æternum & finitum in continuo fluxu est; unde subjungit, *omne tempus finitum exiguam tantum esse portionem aternitatis*. At verò in eo *παρὸν λέει* ❧ latere mox observavimus, quòd Doctores id genus Entis summè perfecti existentiam & durationem ad rerum Creatarum modum concipiant; quod ipsum est summam negare perfectionem, Deumquè de throno suo ad Creaturarum subsellia detrudere. Sed hæc quoad ejus qualemcunque æternitatis, & temporis explicationem,

§. XVIII.

Objectiones Limburgius contrà Aternitatem
Dei

Dei *indivisibilem* binas ejaculatur; prior continetur §. 6. his verbis. *Si aliter concipiamus, non potest Deus dici, qui fuit & qui erit.* At hoc ipsum encomium, ut suprà vidimus, sententiam omninò nostram suffulcit; dùm enim Deus erit, quòd fuit, idem semper est, idemquè manet sine variatione, mutatione adde & successione; per successionem enim aliquis fit, quod nondum fuit, hoc verò de Deo negatur, disertè ad Moſen dicente *אֲנִי אֶהְיֶה אִשְׁרָא אֲנִי אֶהְיֶה* *ero, qui sum*, ergò idem & non alius. Ubi igitur successio? Dei quidem Essentiam *stabilem ac invariata*m quoquè agnoscit Limburgius, verùm dum dicit, illam *cum momentis præteritis fuisse conjunctam & cum momentis futuris esse conjungendam absque ulla sui mutatione aut alteratione*, rem nobis inexplicabilem narrat; quid enim faciunt momenta sive præterita sive futura, si res sit stabilis semper, invariata & sine mutatione? Vel quid sunt momenta illa, suntne in Deo, an extra eum? utrumquè pariter est absurdum: Si sint in Deo, an ex illis Essentia ejus stabilis est & invariata? Si sint extra Deum, nonne duo erunt æterna & infinita? Addit Auctor idem: *Durationem non inferre mutationem*, (istud de Deo intelligentes & nos volumus,) *sed, inquit, externam tantùm conjunctionem rei cum momento præsentis: præteritum non dicere de sitionem rei: sed tantùm de sitionem respectûs, sive externa conjunctionis cum momentis, qua jam ampliùs non existunt; sic futurum &c.* Momenta igitur illa erunt tandem respectus, proinde nihil; nisi dicas, momenta illa extrà Deum aliquid esse reale, & sic ab æterno duas fuisse res distinctas. Nisi igitur Limburgius velit

successione
in Deo Ob-
jectio Lim-
burgij I.
ex eo de-
sumta, quòd
Deus dici-
tur, qui fuit
& qui erit.
in se ipsum
retorque-
tur.

ridiculus esse, quidni stabilem & invariata[m] Dei Essentiam absque momentis ac proinde absque successione statuit? At, inquit, se cum Scriptura loqui, Deo prateritum & futurum tribuente: Sed an nullæ sunt in Scriptura metaphoræ, tropi nulli, nullæ figuræ? Vel Scriptura an non Deo temporum differentias ita assignat, ut illa apertè id non nisi figuratè fieri doceat, talem eum prædicando futurum, qualis nunquam non fuit: qui certè erit, quod est, ei momentorum successio, temporumquè differentiarum non conveniunt; Scriptura itaque hoc in loco ut multis in alijs כדרך של בני אדם *juxta viam filiorum hominis* per συγγράβαιον *ad nos loquitur*, ut quando Affectus, membra &c. Deo tribuere solet.

§. XIX.

19. Objection
2. si Dei
duratio non
est successi-
va, tunc
quicquid
est, æter-
num erit,
diluitur.

Posterior Limburgij obiectio §. 7. hæc est; *jam hoc momentò Deo omnia erunt presentia, tam qua fuere, quam qua nondum sunt, idquè in infinitum usque; sic vita nostra ad aternitatem collata non esset instar brevissimi temporis --- quia unum quodquè vita nostra momentum toti aternitati coëxisteret; atquè ita aternitas multis vicibus in vita nostra duratione comprehenderetur: porro addit, sic res fore prateritas simul & præsentes, prateritas, quoniam facta; præsentes, quoniam aternitati coëxistentes: postea concludit, sanè, inquit, ubi diu sudaverimus, comperietur tandem, eadem esse momenta in aternitate, qua in tempore. Hic ergò Limburgius clarè satis pro Socinianorum sese & Vorstij sententia declarat; cur ergò §. 10. dicit, *Modum durationis aterna temerè non esse definiendum?* Sed objectionem ipsam quod concernit, est illa*

illa tota ex Crellio, unde & sua hausit Vorstius, de-
sumpta; sic namquē l. de Deo Crellius. *Si Æternitas
Dei quōvis momentō tota existit, quicquid est, æternum
erit.* Quid ad illam respondere soleamus, apponit
§. 7. Limburgius, dicens; *Solent sententiam suam
illustrare similitudine arboris in alveo, centri in circulo,
axis in sphaera, gnomonis in Sciaterico, qua singula im-
mota manent, dum alveus eam praterlabitur, & cir-
culus, sphaera & umbra circumducitur,* vid. Cl. Maresij
Syst. loc. 2. §. 31. Hæcce profectō similia Aucto-
rem illum à Crellio meritō abducere, nostræquē
sententiæ veritatis convincere debuissent; sed obser-
va hominis *χρησφύητον*, distinguit ibidem æternita-
tem & rem ipsam æternam, hoc est, Deum; rebus
illis immobilibus docet non comparari æternitatem,
sed Deum ipsum; quæstionem *non esse de Deo & ejus
Essentia, sed de natura æternitatis in abstracto conside-
rata.* Egregiè! Deus igitur non est successivus,
nec Dei Essentia sua habet momenta; sed Æternitas
abstractè considerata successiva est, habetquē mo-
menta. Hæccine virum solidum decent? vet
quid est Æternitas Dei? loquar cum Limburgio, *Ea
nihil est aliud nisi Deus Æternus.* Concilia hæcce
cum Limburgio ipso, si quid valeas. Certè prout
in Ente infinito Essentia ab Existentia non distingui-
tur, ita Æternitas sine Essentia Divina, cujus est
attributum, non concipitur. In Creaturis quidem
res secus se habet, in quibus duratio affectio est non
essentiæ sed existentia, quandoquidem existentia
earum non necessaria est; In Deo verò cum Exi-
stentia sit de ejus Essentia, Existentiæ fluxum & di-

versa momenta majori jure quàm, Essentiæ ipsi tribuere nequimus. Unde quemadmodum Dei Essentia, ita quoquè ejus Existentia, æternitas adeò ipsa per durationem connotativam & relativam omnibus temporum differentiis tota simul coëxistit absquè sui divisione, variatione & successione, ut partibus motûs præteriti coëxtiterit, nec coëxistat amplius, quoniam quod præterijt, amplius non existit; partibus verò motûs præsentis coëxistat, quoniam partes illæ actu sunt; illis verò motûs futuri coëxtitura sit, nondum coëxistat, quia res illæ nondum sunt. Ubi igitur est successio utrum in Deo, an in rebus ipsis? in Existentia Divina, an verò in rerum creaturarum Existentia? Bernhardus *Serm. 80. in Cantica, Tempora*, inquit, *sub ea transcunt, non ei. Futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur.* Simile à turre in torrente eadem semper existente desumptum rem illustrat: turris aquæ præterfluenti coëxistit, at non omni simul, quoniam non omnis in instanti eadem diffluit, sed coëxtitit præter lapsæ, coëxistit actu præterlabenti, & coëxistet præterlapsuræ, ita ut omnis ille lapsus & fluxus atquè adeò successio coëxistentiæ illius non in turri, sed in aqua sit; quando verò de Existentia Dei dicitur, eam omnia temporum discrimina complecti tanquàm punctum aliquod, id de ea ante mundum conditum intelligendum est, cùm nullus motus, atquè adeò nullum tempus esset, unde tota Dei existentia instar puncti consideratur. Alias Crellij objectiones prætermittimus, quæ ad binas Limburgij faciliè omnes reduci possunt.

§. XX.

Sciscitanti verò, quorsum in Controversijs id genus, quæ ad curiositatem magis quàm ad communem ædificationem factæ esse videntur, prolixè excutiendis tantoperè desudemus, responsio in promptu est. 1. Agi de re momenti summi, de Deo nim. de ejus natura, de ejus attributis; de summa ejus perfectione & immutabilitate; 2. agi de ratione Cultûs, Fiduciæ, & Spei nostræ de què omnibus, quæ Deo debemus, officiis; quæ singula nequeunt integra esse, sincera & cordata, qualia Deum decent, nisi debitum de perfectionibus Divinis conceptum habeamus. Prius prærequiritur, ut suum posterius locum habere queat: Si prius rectè non teneatur, præjudiciaquè & errores de Deo foveantur, mirum non est, si præcipua deinceps Theologiæ capita corrumpantur, & Religio in *δεισιδαιμονίαν* meramquè superstitionem tota convertatur, debitaquè in Deo tanquàm Creatore, Redemptore, Justificatore, Sanctificatoreq; nostro fiducia non collocetur. Vel nonne Adversarii, quos oppugnare solemus, exemplum nobis suppeditant ipsi? Quî fit, quòd propriam illi justitiam erigant, fidemquè & vitæ sanctimoniam sibi tribuant? quî fit, quòd liberum hominis arbitrium in arce collocent, ejusquè rationem formalem in *indifferentia* constituent? Si Deum simpliciter & absolute perfectissimum crederent, talesne ipsi opinionones defenderent, hominemquè tantùm non Divino regimini subducerent? At neglectis Dei Perfectionibus satiùs ducunt rationem habere hominis officiorum, quæ tamè ipsa nihil sunt quàm hypocrisis,

20. Hujus
Doctrinæ
nostræ e-
gregia uti-
litas.

se-

securitas, arrogantia, superbia spiritualis, meraquè
 injustitia & infidelitas, nisi perfectionibus Dei in
 Scriptura revelatis tanquàm basi innitantur & ful-
 ciantur. Usum ergò, quem Limburgius §. 12. ex
 ista de Dei Æternitate doctrina deducit, nostrum fa-
 cimus, dum dicit: *Nisi autem Æternus sit* (sed verè
 Æternus, proinde sine variatione, mutatione &
 SUCCESSIONE) *nec Æternam Vitam cultoribus*
 suis (verè resipiscentibus, & fide sincerâ justitiam
 Christi sibi applicantibus, atquè adeò justificatis &
 sanctificatis) *largiri* (propter Christi meritum) *nec*
Cultores (prout modo sunt descripti) *eandem certâ*
 animi fiduciâ ab ipso (Deo Triuno) *expectare*
 possunt.

F I N I S.

IN Deitate gradus, mensura & tempora non sunt,
 Et quod idem est, majus non habet atquè minus.
 Corporea longè moles formaquè recedant,
 Virtus summa caret finibus & spatijs.
 Quod Pater, hoc simul est Verbum Patris, hoc utriusquè
 Spiritus, hic Deus est unus & una fides.

Jac. Billius apud Lang.